

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5720

**Auteur(s) :** Robert II, Meulan (comte)

**Bénéficiaire(s) :** La Vieille-Lyre, Notre-Dame de Lyre (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1166-1204]

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert, comte de Meulan, confirme en faveur des moines de Dotre-Dame de Lyre toutes leurs aumônes qu'ils possèdent dans son fief.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 504-505.

## Dissertation critique

Robert II, comte de Meulan, 1166-1204.

Texte établi d'après a

Robertus, comes Mellenti, baronibus, justiciariis, prepositis et ministris et omnibus fidelibus suis, salutem. Sciatis me concessisse et in perpetuum confirmasse Deo et Sancte Marie de Lira, et monachis ibidem Deo servientibus, omnes elemosinas quas habent in feodo meo, ut possideant et teneant eas honorifice, in pace et sine gravamine, tam in ecclesiis et terris quam in decimis et aliis redditibus. Ex dono scilicet Galeranni patris mei, unum hospitem apud Pontem Audomari, cum domo que fuit Radulfi Parsamein, liberum et quietum ab omni consuetudine et per terram et per aquam ; et per singulos annos duo millia de hareng in introitu Quadragesime, et quicquid predicti monachi emerunt apud Pontem Audomari, vel alibi in terra mea, ad victimum suum, et fuerit eorum proprium, liberum erit ab omni consuetudine ; ecclesiam de Barra cum presentatione presbiteri et cum omnibus pertinentiis suis, et totam terram quam Rogerius de Barra dedit eis, sitam super valle de Gysaio, quas predictus Lucas eisdem monachis legavit. Preterea concessi et hac carta mea confirmavi predictis monachis vavasoriam unam quam habent antiquitus apud prenominatam Barram, liberam et quietam ab omni tallia et servicio, de qua, sicut de aliis vavasoriis, debebam talliam habere, ita quod, cum talliam meam vel auxilium posuero apud Barram, de illa vavasoria nichil capiam ; ecclesiam de Bosco Renoldi, cum presentatione presbiteri et cum omnibus pertinentiis suis, quam Henricus de Bosco Renoldi dedit eis ; ecclesiam de Nuceario ; ex dono Radulfi de Grolay et Johannis de Johe, decimam quoque molendini de Grolay, cum duabus acris terre apud Nucearium, et cum uno hospite libero et quieto, que idem Radulfus dedit predictis monachis. Dono etiam et concedo et hac mea carta confirmo predictis monachis ut pecudes et animalia de domo sua quam habent apud Throcheyam, habeant communem pasturam in foresta mea de Bellomonte, liberam et quietam, et ut idem monachi ad emendandas terras suas libenter habeant marnam de quadam marneria quam fecerunt in predicta foresta mea. Testibus : Willelmo de Hume, Pagano de Mustrul, Simone

de Grolay, Hugone Walensi, Rogerio Walensi, Radulfo Walensi, Radulpho Prueth serviente meo, Stephano clerico,  
et multis aliis.